HIERONYMUS

Salzburg, Ende 11. Jh.



Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

184

incubuisset necessitas nequissime vipere ac mortifere (bestie) resistendi. de quibus psalmista commemorat dicens. Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. et increpationem bestias calami qui scribentes iniquitatem loquuntur contra dominum mendacium. et elevant in excelsum os suum. Cum eum hominem et orationibus eius quem decipere nitebatur brevi interrogatione conclusi. utrum crederet futuram resurrectionem mortuorum annon. Qui cum se credere respondisset. intuli. Eadem resurgunt corpora an altera. Cum dixisset eadem. sciscitatus sum. In eodem sexu an in altero. Ad interrogata reticenti. et instar colubri. huc atque illuc transferenti caput ne feriretur. Quia inquam taces. ego mihi pro te respondeo. et consequentia infera. Si non resurget mulier ut mulier. neque masculus ut masculus. non erit resurrectio mortuorum. Quia sexus membra habet. membra totum corpus efficiunt. Si autem sexus et membra non fuerint. ubi erit resurrectio mortuorum. que sine sexu non constat et membris. Porro si corporum non fuerit resurrectio. nequaquam resurrectio erit mortuorum. Sed et illud quod de nuptiis obicis. si eadem membra fuerint sequi nuptias a salvatore dissolutum; erratis. nescientes scripturas. neque virtutem dei. In resurrectione (enim) mortuorum non nubent neque nubentur. sexuum diversitas demonstratur; Nemo enim de lapide et ligno dicit non nubent. neque nubentur. que naturam nubendi non habent. sed de his que possunt nubere et Christi gratia ac virtute non nubant. Quod si opposueris. quomodo ergo erimus similes angelorum. cum inter angelos non sit masculus et femina. breviter ausculta. Non substantiam angelorum nobis sed conversionem (conversationem) et beatitudinem repromittit. Quomodo et iohannes baptista antequam decollaretur angelus appellatus est. et omnes sancti ac virgines dei (etiam) in isto seculo vitam in se exprimunt angelorum.
A. Similitudo promittitur. non natura mutatur; simulque responde quomodo illud interpreteris quod thomas domini resurgentis palpaverit manus. et viderit latus lancea vulneratum. et petrus in litore stantem conspexerit

erunt similes angelorum. Ubi dicitur non nubent neque nubentur

A. Quando enim dicitur erunt similes angelorum.